



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Sententia xvi. Ioan xiiij. In domo Patris mei ma[n]siones multæ sunt. xxxv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

STI.

sentiam illius. Non enim cum fidem in se exigit, simplici-
 ter tam fidem requirit, qua creditur esse Christus filius
 Dei verus, & verax in suis promissionibus: sed & qua fi-
 ducia in se collocetur, tanquam eo, qui etsi secundum cor-
 pus eos esset deserturus, sua tamen eos Divinitate nun-
 quam esset derelicturus. Hæc est enim Fides, de qua 1. Ioan. 5.
 Ioannes scribit: Hæc est, inquit, victoria quæ vincit
 mundum, fides nostra. Hæc est fides, quæ timorem & Psal. 26.
 turbationem pellit a corde; iuxta illud Psalmista: Do-
 minus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Do-
 minus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?

SENTENTIA XVI. Ioannis 14.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si
 quo minus, dixissem vobis: quia vado parare
 vobis locum.

PARACLESIS.

Quis Apostolorum non metueret, cum Petro di-
 ctum esset fidentiari atque promptiori: Non can-
 tabit gallus, donec ter me neget? Tanquam ergo essent
 ab illo perituri, merito turbabantur: sed cum audiunt,
 In domo Patris mei mansiones multæ sunt, Si quo mi-
 nus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum: à
 perturbatione recreantur, certi ac fidentes, etiam
 post pericula tentationum, se apud Deum cum Chri-
 sto esse mansuros. Quia etsi alius est alio fortior, alius
 alio Sapientior, alius alio instior, alius alio sanctior: in
 domo Patris mei mansiones multæ sunt. Nullus eorum
 alienabitur ab illa domo: ubi mansionem pro suo quisq.
 accepturus est merito. Denarius quidem ille aequalis
 est omnibus, quem paterfamilias eis qui operati
 sunt in vinea, iubet dari omnibus: non in eo dis-
 tinguens, qui minus & qui amplius laborarunt:
 quo

CAPVT
 XXXV.
 August.
 Tract. 67.
 in Ioannem.

233
 12 1103

Matt. 10.

2. Cor. 15.

quo utique denario Vita significatur eterna: sed multas mansiones diversas meritorum in Vita eterna significant dignitates. Alia est enim gloria solis, alia gloria lune, alia gloria stellarum: stella enim à stella differit gloria, sic & resurrectio mortuorum: tanquam stella sancti diversas mansiones, diversas claritates, tanquam in celo sortitiuntur in regio: sed propter unum denarium, nullus separatur à regno. Atque ita Deus erit omnium omnibus: ut quoniam Deus charitas est, per charitatem fiat, ut quod habent singuli, commune sit omnibus: sic enim quisque etiam ipse habet, cum amat in altero, quod ipse non habet. Non erit itaque aliqua invidia impari claritatis: quoniam regnabit in omnibus una Charitas.

2. Ioan. 4.

SENTENTIA XVII. IOANNIS XIII.

Vado parare vobis locum. Et si abiiero, & preparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum: ut vbi sum ego, ibi & vos sitis.

PARACLESIS.

CAPVT

XXXVI.

Cyrill. in
Ioan. lib. 9.
cap. 31.

Inaccessibile cœlum erat hominibus prius: nec ullum unquam hominum ante Christum cum sancto Angelorum consortio fuit. Hunc ascensum nobis postea Christus preparauit, & iter fecit carni nostræ: ut qui propter preuarcationem à facie Dei repulsi simus, ad faciem Dei rursus reduceret. Non ergo abibo, inquit, mansiones paraturus qua multa sunt: sed viam inueniaturus, quam propter peccatum amisistis: ut per eam ad Angelorum cōsortia conscendere possitis. Quod cum fecero, & superiora inferioribus coniunxero: ac planum iter in supernam ciuitatem vobis construxero: iterum veniam regenerationis tempore, et accipiam vos mecum, ut vbi